



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

SS. Petrus & Paulus. 29. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

**R**ectius hodie Roma, misso cum Remo Romulo, conditores suos **PETRUM & PAULUM** salutat, quando huic melioris orbis imperium capite suo pepererunt. Et **PETRUS** quidem, qui pro *Christo* in terris rem Christianam administravit, quæ ad ignem peccaverat, semper oculorum imbre plectens, cum captus, & in vincula datus ab Herode, ab Angelo exemptus esset, morbos passim omnes vel umbrâ suâ fugasset; demum orbem in Urbe adortus, *Christi* signa primus Romæ intulit. Hic ubi præstigiatores Simonem in cælos (ut ipse quidem ajebat) volantem humi dedit præcipitem, Neronis furori cedens, *Christum* obvium habuit, qui rogatus quò iret, Romam ire se ad alteram crucem respondit. Implevit vaticinium *Christi* continuo **PETRUS**; sed ut Magistro honorem cederet, inverso corpore tolli in crucem voluit, quò capite terris hoc pedibus cælo jam propior. Jam **PAULUS** ille cæli etiam ante fata civis, ille nominis *Jesu* per omnem urbem præco, post edita miracula, & literarum oracula quàm plurima, hoc ipso die **PETRO** triumphanti collega additus, securi percussus est. Caput sanguinis loco primò lac, deinde tergeminos fontes totidem salti-

30. Iunii. VITÆ SANCTORUM. 413.  
falsibus dedit, oleum interim effu-  
sum, Jēsu nomen clamando immif-  
cens. Agnosceres tam pretiosis liquori-  
bus refertum Electionis Vas esse. *Ex*  
*Hist. Eccl.*

*Pro nobis facit Apostolorum vita, &*  
*doctrina, & mors ipsa. Etenim in conver-*  
*satione continentiam, in prædicatione sa-*  
*pientiam, in passione suâ patientiam no-*  
*bis contulerunt. S. Bern. serm. 3. de*  
*SS. Apost. Petro & Paulo.*

S. ERENDRUDIS ABBATISSA.  
30. Iunii.

**E**RAT ERENDRUDIS D. Ruperti  
Noricorum Apostoli neptis, non tam  
sanguine huic, quàm virtute propinqua.  
Itaque magisterium in DEO devotas vir-  
gines jam tunc, cum in Galliâ adhuc  
ageret, exercuit. Sed uti Rupertum vi-  
rorum, ita ERENDRUDEM mulierum  
nec minus potens invidia cedere è Gal-  
liâ coëgit. Itaque inter auxiliares co-  
pias, quas fidei bono in Boicas terras in-  
duxit Rupertus, etiam hanc numeravit,  
& exadificato ad Iuvaviam Deiparæ ho-  
nori Parthenone, illic collocavit virgi-  
nem, matremque aliarum virginum vo-  
luit esse: quod officium illa sic imple-  
vit, ut non harum modò, sed pauperum  
omnium mater audiret, quibus te-  
ctum victumque nunquam non præbuit.  
Pedes